

ARTICULUS II.

DE

DEO.

APHORISMUS I.

De cogni-
tione Dei
naturalis.

Cum DEUS non tantum è revelatione per verbum, sed ex naturâ etiam cognoscatur, de cognitione hâc tenendum est, quod *θεογνωσία* naturalis sit habitus, quo homines tum ex insitô naturæ lumine, tum è rerum naturalium consideratione, existentiam Dei in essentiâ unius itemque attributa quædam, opera & cultum cognoscunt, ut quærentes Deum, eundem in verbo suo inveniant, & per hanc revelatam ejus cognitionem demum salventur, negligentes autem hoc naturæ beneficium, & abusi eô reddantur inexcusabiles.

EXPLICATIO.

I. E revelatione.

1. Revelatio est duplex, alia *ordinis supernaturalis per verbum*, alia *naturalis per opera naturæ*. Gemina hic indicatur.
2. Vocabulum revelationis non accipitur *latius*, prout Theologia naturalis ipsa est revelata, sed *strictius*, prout notat revelationem ordinis supernaturalis. Ipsa Theologia naturalis est divinitus revelata, sed opponitur revelationi per Scripturam strictè sic dictæ.

II. Verbum.

Verbum non tantum *potentiæ*, sed etiam *gratiæ*. Quoad prius etiam loquitur DEUS per naturam.

III. E natura.

Ut indicet, quod DEUS duplici ratione agat cum hominibus, sicut illud *Tertullianus* in librô de resurrectione c. 12. expressit: *Premittit DEUS naturam magistrâ submissurus & Prophetiam, quô facilius credas Prophetiæ, discipulus naturæ.*

IV. De